

21. Numerī et litterae (cap. I–XVIII)

Quibus litteris significantur numeri? Litterae septem quibus numeri significantur sunt C, D, I, L, M, V, X. Littera I significatur numerus ‘ūnus’, V ‘quīnque’, X ‘decem’, L ‘quīnquāgintā’, C ‘centum’, D ‘quīngenti’, M ‘mīlle’. Ecce magnus numerus in quo omnēs numerōrum litterae iunguntur: MDCLXVI = mīle sescentī sexāgintā sex [= 1666].

Sī bis scribuntur litterae I, X, C, M, significantur numeri ‘duo’ II, ‘viginti’ XX, ‘ducenti’ CC, ‘duo mīlia’ MM. Sī eaedem litterae ter scribuntur, numeri significantur ‘trēs’ III, ‘trīgintā’ XXX, ‘trecenti’ CCC, ‘tria mīlia’ MMM.

Sī ante V et X pōnitur I, fiunt numeri ‘quattuor’ IV et ‘novem’ IX; sī X ante L et C pōnitur fiunt numeri ‘quadrāgintā’ XL et ‘nōnāgintā’ XC. Numeri ‘sex’, ‘septem’, ‘octō’ significantur cum ad V adduntur I, II, III: VI, VII, VIII. Hī omnēs numerōrum litterae adduntur ad litterās X, L, C, D, M.

Diodōrus magister discipulōs suōs et litterās et numerōs docet. “Ecce” inquit “trēs litterae: X, C, M.

Quaeque littera numerum significat. Quōs numerōs?”

Titus: “Littera X numerum ‘decem’ significat, C ‘centum’, M ‘mīlle’.”

Magister: “Dividite quemque numerum in dīmidiās partēs! Quid est dīmidium ‘decem’, dīmidium ‘centum’, dīmidium ‘mīlle’?”

Sextus: “Dīmidium decem est quīnque, dīmidium centum quīnquāgintā, dīmidium mīlle quīncenti.”

Magister: “Quīngenti, nōn ‘quīncenti’! Quōmodo hī numeri breviter scribuntur?”

Sextus “Quīnque” scribitur litterā V, ‘quīnquāgintā’ L, ‘quīngenti’ D.”

Magister: “Prōme tabulam et stilum, Mārce, et scribe X bis et ter!”

Mārcus bis X scribit: XX, tum eandem litteram ter scribit: XXX.

Magister: “Quōs numerōs scribis?”

Mārcus: “Scribō numerōs ‘duodecim’ et ‘trēdecim’.”

Magister: “Ō Mārce! quam stultē respondēs! ‘Duodecim’ et ‘trēdecim’ scribuntur XII et XIII, nōn XX et XXX! Iīs litteris significantur numeri ‘viginti’ et ‘trīgintā’. Iam scribe ‘quadrāgintā’ et ‘quīnquāgintā’!”

Mārcus X scribit quater: XXXX, et quīnquiēs: XXXXX.

Magister: “Prāvē scribis! Nōn oportet totiēs X scribere, nam ‘quadrāgintā’ scribitur XL et ‘quīnquāgintā’ breviter scribitur L.”

Sextus: “Littera L nōn modo numerus significatur, sed etiam praenōmen, id est ‘Lūcius’. Itemque litteris M et C significantur praenōmina ‘Mārcus’ et ‘Gāius’. Cūr praenōmen ‘Gāius’ scribitur litterā C, nōn G?”

Magister: “Quia antīquīs temporibus ūna littera erat C significans et C et G.”

Sextus: “Ergō numerus QVINGENTI tunc erat QVINCENTI!”

Magister: “Rēctē dīcis. At nunc additur parva linea quae litteram G, nōn C, esse significat.”